



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Cur non suscipimus vberem fructum ex frequenti communione corporis
Dominici. XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

35. *Cur non suscipimus uberem fructum ex frequenti communione.*

Timendum, quod multi ideo fructum paruum accipiunt de mensa Christi; quia nec antea nec postea sunt in sufficienti custodia sui, nec satis reuerenter præcogitant, quis est qui venturus est, nec postea ruminant, quia hodie sanctus sanctorum ingressus est ad eos. Qui autem solliciti sunt præparare interiorem domum suam, & occurrere lætanter obuiam Christo, ipsi nouerunt, quid efficaciam & suauitatis habeat hæc sacrosancta communio. In hoc agnoscitur vniuscuiusque deuotio & amor ad Christum, secundum quod ingeniosè se aptare curauerit ad susceptionem eius.

36. *Sæpius communicare, maxima est consolatio animæ religiosa.*

Est namque maxima consolatio religiosæ animæ, despicientis iam cuncta præsentia, diligētis solitariè & extra homines viuere, soli Deo & sibi in silentio intentius vacare, vt Christum consolatorem animarum omnium, sæpius ad suam sumat consolationem & profectum. Non est illi materia externæ lætitiæ, non ægra spes longioris vitæ, non vana occupatio amicitæ carnalis, non euagatio ambulationis corporalis, nõ implicatio comodi temporalis, nõ superflua sollicitudo rei familiaris, nõ magna fiducia in prosperis, non mentis delectio in aduersis; sed habet intus in anima Christum, propter quem omnia terrena solatia æstimat detrimenta, loquens cum beatissima Agatha: Mens mea solidata est, & in Christo fundata, ideo nõ curo hec ima. Tantum mihi consortium suum Christus donet, amicabiliterque confabuletur, & satis dulciter consolabor. Excedunt quippe eius colloquia omnium consolatorum verba.

37. *Diabolus nititur impedire deuotionem hominis ad Deum, tristitiâ & acedia.*

Sed omnium bonorum æmulator diabolus, tantam confidens hominis cum Deo pactiõnem, nõ patitur eum sine molestia tentationis, in sancto proposito consistere. Curandũ ergo summopere est, & vigilandum contra nequitas eius. Nam sæpe graui tristitia, sæpe tædio affligit bene conuersantẽ; & cuncta, quæ possunt eum angustiare, ad memoriam ducit. Tota vacatio eius est, vt eiiciat amatorẽ quietis & silētij de tabernaculo suo. Istis enim specialiter vitiis, tristitia & acedia (ex quibus quasi semper oritur cordis tædium) persequitur solitarium, & maxime incipientem, & naturaliter tristẽ aut passillanimum, quia per ista, homini quodammodo vires aufert. Sed quisquis firmiter in Deo confidit, eiusque amori nihil antepõnit; sed mundũ, & omnia quæ mundi sunt, calcare appetit, seipsumque volenti animo,